QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS EXAGITANDA IN SCHOlis Medicorum die Iouis 19. Februarij Clarissimo viro M. Nicolao Iabot Doctore Medico moderatore prudentissimo.

An vt autumno melancholię faciliùs fiunt, ita curentur?



VMANIS *corporibus contenta si naturæ legibus tenentur, sanitatis conseruatrices: sin de naturæ bonitate multum decedant, morborum effectrices causæ fiunt: quæ ab euidentibus, externísque necessariò dimanant. Harum aliæ materiam suggerunt, alimenta, excrementa: aliæ duntaxat immutant, solásque qualitates impertiunt; vt aëris, & occurrentiũ intemperies. Illius inspirati, & circumfusi, quàm cæterorum ad infligendos morbos efficacior vis est. Hi vel à substantiæ vitio, vel à subita insolentíque mutatione, vel qualitatum immoderatione nascuntur, quæ in perenni, alternáq; tempestatum anni vicissitudine maximè elucet. Naturam enim si seruent, ratos, et constantes morbos efficiunt: sin aduersis qualitatibus immutentur, alios aliis temporibus conuenientes promouent.*



NDE *omnes, omnibus quidem temporibus, quibusdam tamen quidam magis fiunt, & exacerbantur. Autumno frigido, sicco, inæquali, corpora afficiuntur: affinémque intemperiei humorem melancholicum (lienis alimentum) vberiorem alunt: qui suis quoque morbis, ea cùm in vniuerso, tum in singulis partibus, vel suo ipsarum sensu, vel aliarum consensu malè affectis, reddit obnoxia. Hinc quartanæ febres, morbi comitiales, furores, melancholica pathemata, quæ mentis alienationem, simul & imaginatiuæ facultatis deprauatum vsum, cum metu mœstitiáque perpetuis comitibus præ se ferunt.*



FFECTVM *hunc tenebricosum, cerebrum parte sui maximè priore, nullo febris æstu, à solo primum phãtasmate, tum à spiritu, tandẽ ab humore exsuscitatum suscipit. Illud ob conceptum altius animo mœrorem, cogitationem multiplici fictitiorum genere perturbat: quæ vt nulla adstante materia obfirmata, sic conficta ex aduerso, prudenter rationes facilè discutiunt. Non ita si illa mentis simulachra, ab animali spiritu suapte natura, ex impuro vel aëre, vel vitali spiritu, caliginoso pendeant, qui cordis calidam, vel frigidam intemperiem (ab illa ferina, ab hac melancholica deliria) consequitur. Ea est prima melancholica insania, quà cerebrum licèt intemperie laborans (nunquam immediata huius causa) afficitur: quæ aliunde succrescente, & impetente melancholico humore inualescit.*



IFFVSVS *hic per venas in vniuersum corpus, vel huius, vel hepatis alterutram intemperiem arguit, quam prauorum alimentorũ frequentior vsus auget. Si inferiori ventri subsideat, à liene, mesenterio, vtero, ventriculo, fouetur: cuius osculum superius, humoris contagione perpetuò conflictatur. Hinc hypochondriaca melancholia feruidior, flatuum murmuratione, ructuúmque odora expiratione, quibus leuatur, insignis. Humor ille, huiúsve vapor, cerebrum subiectarum partium excipiendis damnis obiectum, peruadens, animales spiritus inficit, obtenebrátque: qui si emergat, ventriculósque eius subeat, epilepsiã, malignæ aura nõ expertẽ, solet cõmittere.*



RÆSIDIORVM *alia, detrahendæ materiæ morbum committentis, vel emendando huius vitio, aut intemperiei remittendæ, conueniunt. Hæc assumptis, admotísve contrariis perficiuntur. Illa sectione venæ: in affectu primario, capitis: totius consensu, alterutrius brachij: hypochondriorum, crurum, patente foramine exhauritur. Ad eundẽ vsum pro triplici ea differentia, catharctica leuiora; vehementiora raro, in protopathia, capiti potissimùm foris admouenda vsurpantur. Quæ summis corporis partibus inhærent euocandis, tutissima diaphorisis est, vt balneum, quod ei quæ per consensum totius fit, tepidius instituatur. Quorum medicamentorum vsum, tum affectus imminentis præcautio, tum geniti curatio, autumno quo tempore sæpius occurrit, faciliùs vsurpari demonstrant.*

Ergo vt Autumno melancholię faciliùs fiunt, ita curantur.

Proponebat RICHARDVS MARCES Parisinus 1598.

